

Appianus citat. lib. V. Lucium ad Antonianorum Colonias confugisse, bellum adversus Cæsarem paraturum: *quumque Cæsaris equites excurrissent in Bruttiorum litora, ne Pompejus ea vastaret, Lucius sive timens, sive fingens se timere, ne contra ipsum & Antonii liberos equitatus ille missus esset, cursum se contulit ad Antonianorum Colonias, collecturus ibi satellitium, Cæsarem calumniando ut perfidum erga Antonium.* En igitur quando Pisaurum ab Antonio Colonia deducta fuerit, nempe: A. U. DCCXIII. a L. Antonio Cos. M. III Viri fratre, ipsius M. auspiciis, Antoniani milites Pisaurum ex lege Triumvirali deducti fuerunt: quanta porro veterum Pisarensium injuriâ, qui agris, tectis, omnibus denique suis rebus misere spoliabantur, nihil attinet disputare. Ex hac tamen deductione, quæ tantopere Pisarenses afflixit, antiquæ amplitudinis non leve nobis argumentum exoritur: idem enim Appianus tradit Urbes illas, quæ a III Viris in præmium militibus propositæ fuerant: *Italicarum Urbium tam opibus, quam agri bonitate, ac ædificiorum pulchritudine præcellentium fuisse.*

An Augustus postea superato Antonio novos huc Colonos adscripserit, merito quæri potest. Scimus enim ex Dione lib. LI. Augustum eos *conventus Italia, qui Antonii rebus studuissent, extorres egisse, militibusque agros eorum donavisse.* Ego vero, si mea hic libere proferenda sententia est, sub ipsa belli Actiaci initia Augustum sibi Pisarenses partim metu, partim beneficio conciliasse existimo. Audiendus Dio lib. L. *Cæsarem Italia omnis (quos enim Antonius in Colonias deduxerat, eos Cæsar partim metu, partim beneficio sibi adjunxerat, cujus rei causâ inter alia Bononiam quoque Coloniam militibus constituerat, ut a se id beneficium, ii habere viderentur) Gallia, Hispania... adjuvarunt in bello scilicet contra Antonium.* Etenim si Antonianis Colonis expulsis, novam Pisaurum Coloniam deduxisset Augustus, in recensendis Coloniarum Pisarensis cognominibus, Augustæ appellationem, quâ tantopere gloriari par erat, utique non omisissent.

Nunc jam ad ipsum Plutarchi locum accedamus, quo omnem antiquitatis laudem Pisarensi Urbi inepte admodum detrahere conatur non unus Scriptor, dum vetus Pisaurum omnino absorptum, novum hoc postea excitatum somniantur. Non est hujus loci integrum authorum Catalogum contexere, qui, ut superius dixi, vere pecudum more, antiquiorem describentes, sua faciunt, quæ ab aliis accipiunt, sive bona sint,

sive